

Quod autem scriptum est, quod vult omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt: multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in alijs opusculis nostris aliquos commemoravimus: sed hic unum dicam. Ita dictum est: Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligatur omnes predestinati, quia omne genus hominum in ei est: sicut dictum est Pharizais; decimatis omnibus: ubi non est intelligendum, nisi omne quod habebant; neq; enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe decimabant. a

A quiunt, non omnes docet? Si dixerimus, qui nolunt discere quos non docet, respondebit nobis: & ubi est quod ei dicitur: Domine tu convertens vivificabis nos? aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum preceptum Domini pro persecutoribus suis? nam hic etiam voluit intelligi Sanctus Cyprianus quod dicimus: fiat voluntas tua sicut in celo & in terra: hoc est, sicut in eis qui jam crediderunt & tanquam celum sunt, ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle? a

Luc. 11

a Aug. de cor. rep. & gratia c. 14.

b Greg. l. 5. in 14. c. 1. Reg. Gal. 4.

Rom. 8

c Aug. de cor. rep. & grat. c. 15.

d Aug. l. 22. de civit. Dei c. 1.

e Aug. ibid.

f Idem l. 16. de civit. e. 32. & alibi.

Rom. 9

g Idem g. 57. in Gen.

h Aug. c. 8. de SS.

i Diss. c. 8.

Omnes ergo homines vult salvos fieri, quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium aeternae salutis trahit. b

Potest etiam sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle; sicut misit spiritum filij sui clamantem, Abba Pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe Spiritu alio loco dicit: accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem spiritum recte dixit scriptura, à quo efficitur ut clamemus; recte etiam & volentem Deum à quo efficitur ut velimus. c

Dicitur enim etiam voluntas Dei quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus. d

Secundum hanc voluntatem etiam velle dicitur quod ipse non vult, sed suos id volentes facit: tunc dicitur cognovisse, quod ut cognosceretur facit, à quibus ignorabatur. Neque enim dicente Apostolo: nunc autem cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo, fas est ut credamus, quod eos tunc cognoverit Deus praecognitos ante constitutionem mundi: sed tunc cognovisse dictum est, quod tunc ut cognosceretur, efficit. e

Quo modo (Gen. 22.) nunc scivi, dictum est, id est, nunc sciri feci. f

Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum: etiam hoc genere locutionis, ut sciat, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat. g

Sed cur non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: sed miseretur bonum tribuens: obdurat, digna retribuens. h

Et tamen secundum quandam modum, omnes Pater docet venire ad suum filium, non enim frustra scriptum est in prophetis; & erunt omnes docibiles Dei. Quod testimonium cum praemisissent, tunc subdidit: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur, cum de aliquo litterarum magistro qui in civitate solus est, dicimus: omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumq; ibi litteras discit: ita rectè E dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes videntur, sed quia nemo aliter venit. i

C A P. XVIII.

Deus convertit etiam nolentes ac rebelles, faciens ut tales esse desinant.

Quod, si illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi: non enim fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Absit ergo ut quisquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit. Quare, in-

Sylv. De statu hominis post peccatum.

Respondes, per legem suam, per scripturas vel audimus, sed eis consentire, quos non consentire, ita nostrum est, ut si velimus, fiat: si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille (dicitis) quantum in ipso est ut velimus, cum nobis nota sunt ejus eloquia: sed, si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficiamus. Quae si dicitis, profectò nostris orationibus contradicis. Dic ergo apertissimè nos pro ijs, quibus Evangelium praedicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo praedicare. b

Inaniter igitur & perfunctoriè potius quam veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces: si ad ejus non pertinet gratiam; convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctoriè potius quam veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines; nam Deum fallere non valeamus: Profrus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere quod oramus Profrus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus; si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. c

Potens ergo est & à malo in bonum fluere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. d

Possibile etiam est Deo averfas & adversas, in fidem suam hominum convertere voluntates; & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant: nec ab ipso aliqua superati tentatione, discedant. e

Num omnipotens hominem cum gratia salvat, Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi Semper adest quæ gesta velit: non moribus illi Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis: f

Nihil enim obistere divinæ gratiæ potest quominus id quod voluerit, impleatur: g

Et nulla sunt tam detestanda facinora quæ possunt gratiæ arcere donum. h

Si ergo etiam ex nequissimis in ipso vitæ exitu gratia invenit quos adoptet, cum tam multi etiam qui minus nocentes videntur, doni hujus alieni sunt: quis hoc aut sine dispensatione Dei fieri, aut sine profunda dicat aequitate decerni? i

Cujus bonitas nullius merito prævenitur. k

Cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. l

F a Certa

a Aug. de praedest. SS. cap. 8.

b Aug. epist. 107.

c Aug. dista. epist. 107.

d Aug. de dono persever. c. 6.

e Ibid. c. 8.

f Prosp. c. 15. de ingrat.

g Idem l. 2. de vocat. Gent. c. 33.

h Idem l. 1. de vocat. Gent. 17.

i Eodem c. 17.

k Idem c. 24.

l Aug. c. 14. correp. & grat.